

mines ex figura appello, cum ratione iam ob-
brutescant) sed in prolem quoque si quæ ab eis
procreatur, quam corpore planè morbosa
nasci effœminarique necesse est. Riglus pan-
cratiastes à Lito Cæsare ad balneum manè
vocatus, cum accessisset simulque lauans
semel bibisset, apoplexia repente correptus
interijt, vt refert Plutarchus in salubrium
præceptorum libro.

LOCVS CICERONIS EX-
PLICATVS.

BONA valitudo imprimis ro-
stulat πένψιν, ἀλυπία, περιπάτου σύμμε-
τρον, τέρψιν, ἐυλυσία κοιλίας, vt M. Ci-
cero ad Tironem scribit libro 16. Epi-
stolarum fam. hoc est, cόκοctiōnem,
indolentiam, deambulationem mo-
deratam, animi hilaritatem, & aluum
solutam. Requiritur autem non modo ani-
mus vt semper vel vt plurimum dolore &
curis sit vacuus, sed insuper interdum hila-
ris & in lætitiā mediocriter solutus. Nam

ΑΛΥΠΙΑ.